Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ducti. Erat iudex … Fabianus qui eos horta-
batur ad sacrificandum per .x. dies minis eos et blanditiis agens.
et nullum penitus potuit commouere. Tunc fecit de eis suggestionem
imperatoribus. qui quoque iusserunt eos tercio torqueri. Cumque nulla ratione compul-
si cederent. iusserunt eos in mari precipites dari. Immissis itaque
artati ponderibus pelagi fluctibus dati sunt. ut in loco mundo nec
aquis coronam martirii celebrarent. Insidiabantur itaque infideles fi-
delibus. et nimio furore christianum non poterant nec nomen audire. Inter ea
sancto Gaio episcopo quidam simulata fide se sociauit dicens se esse christianum.
porro hic apostata extiterat. et erat fraudulentus in omni sermo-
ne. et callidus in omni commisso. Qui dum a beato Tyburtio uiro scolasti-
cissimo et nobili et sancto frequenter argueretur quod capillos super apicem
frontis tonsoris arte componeret. et quod assidue pasceret. et luden-
do penderet. quod libenter se feminarum aspectibus daret. quod a ieiu-
niis et orationibus se tolleret. quod somno deditus non uideretur esse peruigiles in
ymnis dei ducentibus noctes. Dum plus ut diximus a beato Tybur-
tio acrius argueretur. simulabat se equanimiter monentem accipere.
et egit arte qua tunc orantem sanctum Tyburtium comprehenderent infide-
les. In qua comprehensione se ipsum teneri fecit. et simul ad sectarium
duci iudicis sententiis. At ubi introducti sunt. Fabianus iudex dixit
ad eum qui se arte tradiderat. Quid diceris. At ille respondit. Torquatus. Fabianus dixit.
Quid profiteris. Torquatus respondit. Christianus sum. Fabianus prefectus dixit. Ignoras
quod iusserunt inuictissimi principes. ut qui sacrificare diis noluerint.
diuersis suppliciis macerentur. Torquatus ait. Hic magister meus est.
et ipse me semper docuit. quod hunc uideo facere. necesse est ut hoc faciam.
Fabianus conuersus ad Tyburtium dixit. Audisti quid Torquatus asserat. Quid ad
ista respondes. Tyburtius respondit. Torquatus diu est quod se christianum esse mentitur.
Uir enim ipsa nominis sancti gerit et fert et moleste. suum nomen non a suis
moribus usurpatum. Reuera uir illustrissime hoc christianum uocabu-
lum diuine uirtutis est. sectator scit. christi quia ueri philosophi facti sunt.
qui uere christiani dicti sunt. qui ad obtinendas libidines ficte militarent.
Ne credas uir illustrissime hunc esse christianum. qui in lenocinio sui mol-
liendo capitis fibras omittit. qui tonsorem diligit. qui in scapulis
mollitus geritur. qui fluxum gressum improbo nisu distendit. qui uiros
negligenter agit. feminas diligenter intuetur. Numquam tales pestes
christus habere dignatus est seruos. Uerum quia hic se mee unitatis asserit.
hic in tuo probabis eum conspectu mentitum. Hic enim qualis semper fuit.
nunc euidenter ostendit. Fabianus dixit. Consultius facies si saluti
tue consulas. et principum decreta non contempnas. Tyburtius respondit. Ego salu-
ti mee melius consulo. quando ut deos deasque contempnens. unum deum uerum
dominum Ihesum Christum confitear. Torquatus dixit. Non solum ipse christianus crudelis est. uerum
etiam multos persuadet et decipit. ac docet omnes deos demones esse. ipse
autem die noctuque incantationibus occupatur cum sociis suis. cum quibus
artes exercet magicas. Tyburtius dixit. Falsus testis non erit impu-
nitus. Iste quem uides uir illustrissime malicie sue curis exestu-
ans. ad nichil aliud christianis iunctus est. non ut cogitaret quomodo se
nobis christianum ostenderet. quem alius fidelissimum intueretur. Repre-
hendebatur in meo cyclopeam edacitatem. et in suum uno pudorem.
et sepulturam diuini nominis sanctitatem. Ebrius patiebatur sitim. et esuriem
uomens. non ut christianus sed ut antonianus quondam ille conuiua man-
ducabat. bibebat. … uome… bat. et nunc

christianos arguit. accusat. in nos mentem iudicem incitat. gladi-
um nolenti iudici porrigit. et ut demoniis ceruices nostras in-
clinemus hortatur. Uidemus uotum tuum. uidemus cruenta consilia.
et celata arte uiperarum uenena tui pectoris intuemur. Accinge-
re o christianissime. intende nunc carnificis officio. uendica et ipsius
iudicis uocem. applica eculeos. ap…pende christianos. dampna
percute. incende. bene nos accipis. Si exilium minaris. hoc
philosophantibus totus est mundus. si supplicia. euadimus mun-
di carcerem. si ignem. maiora horum in cupiditatibus uincimus.
Decerne quod libet. omnis nobis utilis est pena. ubi pura est comes conscientia.
Fabianus dixit. Restitue te generi tuo. et hoc esto quod te natura dictauit.
nobilis enim natus ad tantam deuolutus es fecem. ut possis supplicium
simul et infamiam subire et mortem. Tyburtius respondit. O prudentissimum ui-
rorum et romanis iudicem constitutum. quia meretricem uenerem. et incestum io-
uem. et mercurium fallacem. et saturnum filiorum occisorem colere nolo. infamiam
generositatis incurro. et quia unum et uerum deum qui in celis regnat ado-
ro. et ueneror suppliciis me macerandum esse minaris. Sed timi-
das non abnuimus. non renuimus penas. non negamus christum filium dei ad hoc
de celo descendisse ad terras. ut a terris homo ad celos possit ascendere.
Ideo istas pompas omnes quas colitis sine causa perculcans pedibus meis.
deo me omnipotenti subieci. Tunc Fabianus iussit ante pedes eius carbones
ardentes effundi. et ait ad eum. Elige tibi unum e duobus. aut thu-
ra in istis carbonibus adice. aut pedibus super eos nudis incede.
Tunc beatus Tyburtius faciens signum crucis. constanter nuda super eos ingressus
est planta. et cepit prefecto dicere. Depone infidelitatem tuam. et disce
hunc solum deum quem confitemur christianis omnibus dominari. Mitte tu si potes manum
in nomine iouis tui in calidam aquam. et si potest iouis tuus faciat te non sen-
tire feruorem ardoris. Nam in nomine domini mei Ihesu Christi uidetur quod super ro-
seos flores gradiar. quia creatura ipsa creatoris famulatur imperio. Fabianus
dixit. Quis ignorat magicam artem uos docuisse christum uestrum. Tyburtius respondit.
Obmutesce infelix. et noli auribus meis hanc iniuriam facere. ut au-
diam te rapido ore latrantem mellifluum nomen et sanctum. Tunc Fabianus iratus
dictauit sententiam dicens. Blasphemator deorum et reus antiquum iniu-
riarum gladio addicatur. Ductus est autem in uia Lauicana .iii. miliario
ab urbe. et effundens orationem ad dominum uno ictu gladii libatus
abscessit. et in eodem loco apparente cuidam christiano sepultus est. in
quo loco multa beneficia semper prestantur christo ad laudem nominis sui. usque in
presentem diem. Post hoc egit Torquatus ut Castulus zetarius palatii postea
sanctorum fuisset arctatus. Et hic .iii. appensus .iii. auditus. in confessione domini
perseuerans missus est in foueam. et dimissa est super eum massa harena-
ria. et sic cum palma martirii migrauit ad dominum. Tenentur post hoc Marcellianus
et Marcus. et ligati ambo ad stipitem in pedibus acutos acceperunt.
Quibus insanissimus iudex dicebat. Tamdiu fixis stabitis plantis.
quamdiu diis debitum reddatis officium. Ambo uero fratres in uno ligno
confixi psallebant inter se dicentes. Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. Dicit eis Fab.
Infelices et miseri. deponite amentiam. et liberate uosmetipsos a sup-
pliciis imminentibus. Cui responderunt ambo dicentes. Numquam tam
bene epulati sumus. quam cepimus esse in amore christi. utinam nos sic
esse sinas tamdiu permittas. quamdiu hoc regimine corporis induimur.
Cumque transissent una dies et una nox. et illi in psalmis et ymnis perse-
uerarent. iussit eos ambos ibi ubi stabant lanceis per latera transuerberari.